

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Phaedri Avgusti Liberti Fabvlarvm Aesopiarvm Libri V.

Phaedrus

Rintelii, MDCCXXXVIII

VD18 13044567

Fab. XX. Phaedrus de fabulis.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17134

testari Deos : qui funeris quoque interdicis
maxime necessariis sumtibus : ne forsan Pro-
serpina, in cuius templo locantur, quae ad
sepulturam pertinent, vel lucri tantillum de-
facultatibus tuis nanciscatur.

FAB. XX.

Phaedrus de fabulis.

Quid iudicarē cogitet liuor, modo
Licet dissimulet, pulchre tamen intelligo.
Quicquid putabit esse dignum memoriae,
Aesopi dicet; si quid minus arriserit,
A me contendet fictum quo quis pignore. 5
Quem volo refelli iam nunc responso meo.
Siue hoc ineptum, siue laudandum est opus,
Inuenit ille, nostra perfecit manus.
Sed exequamur coeptum propositi ordinem.

*Hand in iucundum, veteres quod factitarunt,
si faciunt noui.*

Equidem probe scio, et intelligere facile
possum, quam seuerum ac peruersum in me
iudicium meditentur omnes, qui, ad nefaria
quaeque molienda, vtvt dissimulent, ac mini-
me gentium videri velint, inuidia et male-
volentia turgent. Quicquid arbitrantur in his
fabulis esse memoratu dignum: Aesopi, aiunt,
nobile esse opus: si quid illis minus placet:
a me proficiisci, cum omnibus faciunt spon-
sionem, et quo quis pignore contendunt. His
ergo, vt calumniari desinant tandem, respon-
dendum esse duxi. Qualemque hoc opus
videatur; siue commendare istud, siue acrio-
ri

ri censura vituperare velis : Aesopus ille ve-
teribus adeo laudatus materiam suppeditauit:
quam ego versibus senariis perpolire , atque
industria singulari perficere studui. Laborem
ergo haud iniucundum eo , quo institui mo-
do et ordine prosequar.

FAB. XXI.

Naufragium Simonidis.

Homo doctus in se semper diuitias habet.
 Simonides qui scripsit egregium melos,
 Quo paupertatem sustineret facilius,
 Circumire coepit vrbes Asiae nobiles ,
 Mercede accepta laudem victorum canens. 5
 Hoc genere quaestus postquam locuples factus
 Venire in patriam voluit cursu pelagio. (est,
 (Erat autem natus, vt aiunt, in Ceo insula)
 Ascendit nauem , quam tempestas horrida
 Simul & vetustas medio dissoluit mari. 10
 Hi zonas , illi res pretiosas colligunt,
 Subsidium vitae. Quidam curiosior,
 Simonide,tu ex opibus nil sumis tuis ? (natant:
 Mecum,inquit,mea sunt cuncta. Tunc paucie-
 Quia plures onere degrauati perierunt. 15
 Praedones adsunt,rapiunt, quod quisq; extulit,
 Nudos relinquunt. Forte Clazomene prope
 Antiqua fuit vrbs, quam petierunt naufragi.
 Hic literarum quidam studio deditus,
 Simonidis qui saepe versus legerat, 20
 Eratque absentis admirator maximus,
 Sermone ab ipso cognitum cupidissime
 Ad se recepit, veste , nummis , familia

Ho-